

## Petronianum

*hospitum hospites* = innumeri hospites

In Petronii cap. 77, 4 quod post tot cellationes vel cenationes, tot cubi-  
cula, tot porticus etc. hoc scriptum est: *hospitium hospites capit*, admodum lan-  
guere multis iam viris doctis visum est. Velut Reinesius *hospitium* <M> *hospites*,  
Burmannus *hospites* <C> *capit* proposuit, neuter male, si ad scripturae antiquae  
rationem spectes. Nihil tamen mutandum esse Buecheler censuit haec adnotans:  
„Numero non addito hospitium tantum esse dicitur, ut sufficiat numero hospiti-  
um”. Qua ratione languoris vitium tolli mihi non persuadetur. Fac enim pau-  
cos esse Trimalchionis hospites: iam parvum his hospitium satis erit, quod a  
ratione loci alienissimum esse apparet. Crediderunt tamen et Friedlaender et  
Ernout, interpretati alter: *die Gastzimmer haben Raum für Gäste*, alter: *les cham-  
bres d'amis suffisent à tous mes hôtes*. Mihi *hospitium* genitivus pluralis videtur esse,  
quam formam Thesaurus Linguae Latinae s. v. *hospes* p. 3020, 17 improbat qui-  
dem, sed in duobus locis Ciceronianis, tum singulis Livii et Plinii minoris, pro  
varia lectione ferri testatur; ac forsitan Petronii quoque haec forma fuerit, nam  
et cap. 95, 5 et 95, 7, ubi *hospitum* in editionibus est, aliquanta pars librorum  
vel *hostium* vel *hospitium* exhibet. Certe Trimalchionis loquela illud *hospitium*  
= ξένων indignum non est (quod si esset, facile est *hospitum* coniecturae loco  
proponere). Haec si recte disputavimus, iam in proclivi est intellegere (*domus*)  
*capit hospit(i)um hospites* id est ‘permultos hospites’, sicut *nummorum nummos*  
37, 8, utcumque de origine eius locutionis statuas, non dubium est quin ‘per-  
multos nummos’ significet (cf. *olim oliorum* 43, 8; Friedländer, Petron. cen. Tr.<sup>3</sup>,  
1906, S. 234).